Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 85

Quelle:
Copyright:

quar verſionem ad finem Pſalmi. *Und wirt als ein holtz daz da gepflancet iſt neben den abloufen der wazzer: daz da gibt ſine vrucht in ſiner Zeit. Und ſin blat nicht vervluzet: vnd alle di er tuet werden begeluckeget. Nicht alſo di boſen nicht alſo ſunder als der ſtoup: den der wint wirft von dem antlutz der erden. Darumb erſten nicht di boſen in dem gerichte: nocht di ſunder in dem rate der gerechten. Wan erkant hat got den wek der gerechten: vnd di ſtraze der boſen vordirbet.* Pſalmi litera initialis B multum ſimilis eſt primae illi xylographicae, quam Jo. Fauſtus *Pſalterio* ſuo *Moguntiae* 1457. impreſſo praefixit. Verſio ipſa cum primis Germanicis Bibliorum editionibus collata ab omnibus abludit, et fecundando linguae gloſſario percurri tota mereretur.

II. *Tractatum beati Jeronimi presbiteri* minus eleganter ſcriptum a *Fol.* 89. *pag.* 2. Eſt vero Tractatus hic *Expoſitio Pſalmorum* conſarcinata ex ſuppoſitis Hieronymo Tractatibus duobus, qui T. VII. *Opp. edit. Vallarſ.* in *Appendice* ſejuncti habentur ſub hiſce titulis: *Breviarium S. Hieronymi in Pſalterium* col. 1. et *Liber S. Hieronymi in Expoſitione Pſalmorum* col. 104. Prooemium noſtri codicis, quod incipit: *Pſalterium eſt quaſi domus magna. vnam quidem habet exteriorem clavem in porta* &c. huic poſteriori praefixum eſt, obſervatque Vallarſius comparationem hanc ex Origene deſumtam eſſe. Poſt *Prooemium* Codex noſter poſteriorem Tractatum ſequitur usque ad *Pſalmum* VII. ante quem inſeritur ex anteriori ſeu *Breviario* expoſitio *Pſ.* V. a qua rurſus ad Tractatum poſteriorem, expoſitionemque *Pſ.* VII. reditur. Nec deſunt minutiores quaedam differentiae; ubi enim *Breviarium Vallarſ.* col. 12. in haec verba deſinit: *Et poſt te ſubſequens non laboravi. Domine, ut ſcuto bonae voluntatis tuae coronaſti nos. Scuto protegimur, et cum perfecti fuerimus, coronamur;* noſter in voce *laboraui* ſiſtit, adjicitque: *cui ſit gloria in ſecula ſeculorum.* Ultima nobis expoſitio eſt *Pſ.* CXLIX. quae eſt *Breviarii* penultima, ita tamen, ut ultima *Breviarii* verba ſint: *benedicamus eum in ſecula ſeculorum. Amen*, nobis vero lacinia integram pene paginae columnam longa adſuatur de timore Dei tractans. Hanc excipit *index alphabeticus* vocum minus uſitatarum, quae magnam partem per notiores, etiam vernaculas, explicantur, v. g. *Aſcia eſt cultellus curuus quo vites purgantur. Coruſcatio. blikz. Coturnix. auis brachvogel* &c. Codex hic noſter neque Martianaeo, neque Vallarſio innotuit, cujus Viri docti de Commentariis hiſce pſeudohieronymianis judicium ex T. VII. Append. p. VI. adjicere lubet: *Vulgo autem haec obtinet, propiorque ad fidem ſententia eſt, hujusce Auctorem* Breviarii *vetuſtiorum ſe Patrum compilatorem eſſe, qui, ut multa ab* Origene, Hilario, Euſebio, *multumque his recentiore* Lugdunenſi Eucherio, *quem laudat in* Pſalmum decimum